

religionem amplectendam induceret. Atq; ut Ægil Abbas de hisce expeditionibus scribit, Carolus *partim muneribus, partim promissis et persuasionibus, magnâ ex parte Saxonum gentem ad Christi fidem perducere* contendit. Et consilia conatusque processissent, si ut populi, ita proceres religionem ante gentis libertatem æstimâssent.

Castrum
ad con-
fluentes
Almæ,
Luppia
& Paderæ
fontes
erigit.

Per id tempus iussit Carol⁹ Eresburgum castrum, quod Saxones denuo subverterant, instaurari. Aliud deinde castrum ad Luppiam flumen extruxit. Et utrumque non modico Francorum præsidio firmavit. At quo loco postremum hoc positum fuerit, dissentiunt Auctores: alij collocant, ubi Glæna Luppia miscetur; quidam Lipstadij, quæ urbs istinc nomen Lippia servavit. Verisimilius alij ad confluentes Almæ & Luppia ac Paderæ, atque in veteri Alifonis castelli loco, intra Luppia ac Paderæ fontes, situ, quem natura præmunet, ubi nunc arx ac sedes Paderbornensis Episcopi visitur. Non alius in Westfalia Saxoniave universa locus, in quo Carolus frequentius versatus, aut castra posuerit, aut synodos conventusque populi celebrârit, aut legatos audierit; quàm hîc vel ad Luppia, Paderæque fontes, vel horum trium annium Luppia, Paderæ atque Almæ confluentes. Quare dum annales Francorum scriptoresque veteres Luppia fontes aut Paderbornam memorant, totum illum complexum locorum designari ac plerumque permisceri reputes, quo intra unum leucæ spatium fontes horum annium & confluentes tanquam in triangulo aspicias. Quanquam Paderæ fontes ob naturæ beneficium ac miraculum, quibus Saxonia Germaniaque nihil prope modum habet jucundius aspectabiliusque, oppido primùm, deinde urbe ac metropoli diœcesis hujus nobilitati sint. Defenbergam præterea arcem in edito coronatoq; monte hac expeditione, ejectis Saxonibus, expugnatam tradit Regino; quemadmodum alias quoque arces & castra aut erepta Saxonibus, aut præsidijs firmata perhibent Francorum annales. Sed neque situm horum locorum, fontesq; annium, neq; castra arcesque, quales Eresburgum, Brunsberga, Bokka, Defenberga, supra memorata, hîc describere necesse; quod id eruditè explicatèque à *F E R D I N A N D O* Principe in monumentis Paderbornensibus sit præstitum. Res gestæ horum locorum nudâ narratione proponendæ.

Annus Christi 777.

Hadriani Pont. 6.

Caroli M. Franc. Reg. 10.

Ann. Franc.

Anno igitur abhinc proximo, ut ea, quæ superiori anno prosperè cœpta erant, confirmaret, Saxonumque animos ad obsequium Francorum, & Christianam religionem componeret; Carolus Noviomago,